

B. N. II, 124.

h. 55, 8.

X 187 6075



B. C. D.

DISSERTATIO JURIS PUBLICI

De

INJUSTA OPPOSITIO-
NE JURIORUM MAJESTATICO-
RUM SUPERIORITATIS
TERRITORIALIS,

ET

RESERVATORUM
IMPERATORIORUM,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,

Electatus Brandenb. Hærede, &c. &c. &c.

IN UNIVERSITATE FRIDERICIANA

Consensu Superiorum

PRÆSIDE

DN. CHRISTIANO THOMASIO, Jcto,


Confiliar. Elect. Brandenb. & P.P.

publico Eruditorum examini

submittit

D. XXVII. Maji ANNO M. DC. XCVI.

PETRUS HENRICUS Mueß / Weikershemio-Francus.



HALÆ, Typis CHRISTOPH. SALFELD, REGIM. ELECT. BRAND. Typogr.

*de injusta Oppositione Jurium Majestaticorum Superioritatis ter-
ritorialis. Vet. XCVI. 8.*





A
Son Altesse Serenissime

Monseigneur

ALBERT
ERNEST

Prince du St. Empire

à

OETTINGEN.

A 2

Mon-

MONSEIGNEUR



Est a Votre ALTESSE SERENISSIME, que je prens la hardiesse de presenter les droits des Princes, (dont j'entreprens la deffence,) parce qu'ils luy appartiennent avec tant de Justice, à cause, qu'elle a non seulement herité des terres de SON ALTETSSE SERENISSIME Monseigneur le Prince d'Oettingen de glorieuse memoire, mais encor de cet Esprit admirable, & de cette vertu heroique, qui luy attirerent l'Estime, & l'affection de SA MAJESTE IMPERIALE.

Oui,

Oui, MONSEIGNEUR, Tout le monde recon-
noit en V. A. SERENISSIME un Prince
aussi digne de Ice rang par son merite ex-
traordinaire, que par son illustre naissance:
Et il admire en luy cette penetration si
eclairée, cette ample cognoissance de
plusieurs langues, & sciences, qui le fait
être le Protecteur des lettres & des sça-
vants, & cette douceur merveilleuse, ac-
cessible à toute sorte de personnes: & sur-
tout, une prudence consommée, une Justice
equitable, & une clemence paternelle, qui
le rendent les delices de ses sujets. Si ces
vertus de V. A. SERENISSIME ne repa-
dent pas tant de Joye, parmi les autres peu-
ples, elles y causent d'autant plus d'admi-
ration, elles sont loüées en toutes lan-
gues, & je me fers expressement de celle cy,
qu'Elle parle parfaitement pour justifier
cette verité. Je ne l'aurois pourtant ja-
mais osé entreprendre, ni dedier mes the-
ses à V. A. SERENISSIME, scachant, que je
ne luy puis rien offrir, qui ne soit infini-

ment au deffous d'elle. Mais, MONSEIGNEUR,
puisque V. A. SERENISSIME a comblé
mon Pere de tant de graces, en l'honorant
de sa bienveillance, & d'une charge fort
confiderable dans ses Etats, je craindrois
de passer plutôt pour ingrat, que pour mo-
deste, si je ne luy consacrais ces premices
de mes études, comme un temoignage
aussi sincere, que public de ma recognois-
sance. J'espere, que V. A. SERENISSIME
me fera la grace de l'accepter favorable-
ment, & qu'Elle ne regardera pas tant à la
petitesse du present, qu'à la grandeur du de-
sir, que j'ay de luy rendre mes tres humbles
services avec une entiere soumission, & une
fidelité inviolable. Je suis

MONSEIGNEUR

De Votre Altesse Serenissime

Le tres-humble, tres-obeissant,
& tres-fidelle

Serviteur

Pierre Henry Mouck,



B. C. D.

De

Injusta oppositione Jurium Majesta-
ticorum Superioritatis territorialis,
Et
Reservatorum Imperatoriorum.

S U M M A R I A.

Occasio disputationis. §. 1. Status controversia & methodus dicendorum. §. 2. Superioritas territorialis definitur. Respondetur dissentientibus, eam propter nexum feudalem statuum pro summa potestate non agnoscentibus. §. 3. Refutatur distinctio inter Superioritatem & Superioritatem Territorialem, & ostenditur, vocem Territorii non diminueret summam potestatis. §. 4. In artic. 8. §. 1. Instrum. Pacis fundatum est jus majestaticum superioritatis territorialis. §. 5. Regalia sunt infinita & pro diversitate temporum variant. §. 6. Notatur Zieglerus & Fac. Jurid. Witteb. An concessio juris Carnificarii pertineat ad Regalia? §. 7. Probatio juris majestatici statuum ex inductione Regalium. Leges Imperii status obligant per modum pacti. §. 8. Jus vectigalium & stapula à Statibus per pactum Capitulationis restrictum est. §. 9. Elector Brandenburgicus habet privilegium augendi vetera vectigalia & introducendi nova. §. 10. & adeò simul introducendi novum jus stapula. §. 11. Restrictio jurium superioritatis per literas reversales Principum & pacta cum subditis. §. 12. Transitus ad jura majestatis quae à multis scriptoribus Juris publici denegantur statibus. §. 13. Jura majestatis regulariter cessant extra territorium, hujus assertionis genuina ratio. Regalia transeuntia proprie non sunt regalia in respectu extra territorium. §. 14. Ab hac regula ne quidem Imperator exceptus est.

est, etiam intuitu territoriorum quæ statibus competunt. §. 15. Valent quandoque regalia extrà territorium ex lege civilitatis & indigentia §. 16. Multum hic valet potentia. §. 17. Applicantur hæc ad jura Statuum variis exemplis, sed paulo aliter ac vulgò fit. Tentatur defensio Suprematus Furstinerii. §. 18. Idem & intuitu Imperatoris valere ostenditur. Olim in majori gradu reverentia Imperatoribus exhibebatur, quam hodiè §. 19. Interim & hodie etiam à Potentibus Statibus Majestas Imperatoris comiter colitur. §. 20. Imperator tamen eam culturam non ut signum subjectionis suscipit, sed non dispari humanitate rependit. §. 21. Obscuritas doctrine de reservatis & confusa hujus doctrine tractatio. Quatuor significationes potissima, circa quas scriptores dissident. §. 22. Determinatio Reservatorum Imperatoris est nodus inextricabilis. Locus prolixior eam in rem ex Dn. Ittero adductus. §. 23. Ostenditur, omnes quatuor reservatorum significatus non posse opponi nisi impertinenter Juribus statuum. §. 24. Fundamenta principalia errorum communium in doctrina de reservatis provenire partim ex infausa applicatione Legum Justinianearum ad jus publicum Germaniæ, partim ex confusione status antiqui cum hodierno. Loci duo eam in rem ex Furstinerio & Burgoldensi. §. 25. Utilitas doctrine nostre. Evitatio objectionum, quas Encomiastæ Reservatorum contrà regulam: quod status tantum possint in suo territorio, quantum Imperator in Imperio, & communem differentiam inter jura superioritatis & Reservata Imperatoris, proferunt. §. 26.

§. 1.



Inter alias quæstiones à scriptoribus Juris publici vel obscure, vel ex affectu, vel erroneè, vel cum triplici hoc defectu conjunctim tractatas, est etiam disquisitio de Juribus Imperatoris & statuum in Imperio Romano-Germanico, eorumque inter se comparatione. Prout enim ferè quisque vel Imperatori favet vel Statibus, ad Jura quoque ex una parte augenda, ex altera deprimenda pronus est. Unde in catalogo jurium Imperatoris aut Statuum nimium quantum variatur. Communiter
autem

autem qui Statibus eorumq; superioritati detrahere satagunt, ferre nequeunt vulgatum istud: Status tantum posse in suo territorio, quantum Imperator in Imperio. Unde in contrariam partem urgent, hoc vel illud jus non competere posse Statibus, quia sit Reservatum Imperatoris. Qui Statuum jura defendunt, ut hanc objectionem tollant, vel litigare incipiunt, utrum Regale de quo agitur, sit Reservatum Imperatoris, nec ne, tum quomodo Reservata & Jura Statuum differant, partim quod Reservata Imperatoris etiam exerceantur in Status Imperii, jura vero Statuum in suos subditos, partim quod jus ex reservatis imperatoris acquisitum valeat in toto Imperio, jura vero Statuum extra territorium non valeant & quæ sunt similia.

§. 2. Diffundit autem ista dissensio se in infinita Juris publici capitula, unde non indigna nobis visa fuit & nostram de ea aperire mentem, præprimis, cum, quæ hic ab utraque parte dicuntur, hinc inde ulteriorem discussionem mereri videantur. Et cum fundamenta saltem ostendere animus sit, genuinis Juris publici principiis convenientia, abstinemus à peculiari- bus controversiis, ex his fundamentis deducendis, de quibus fortè alibi sæpius occasio differendi se præbebit, nisi, quatenus aliquando illustrandæ doctrinæ causa opus erit. Ut vero methodo sua non destinatur disquisitio nostra, initio ostendemus, doctrinam de Juribus Statuum Imperii omnium optimè ex definitione superioritatis territorialis explicari posse abq; immixtione doctrinæ de reservatis imperatoriis: Tum ostendemus, doctrinam de reservatis Imperatoriis esse obscure, & confuse, atque parum pertinenter à Panegyristis Reservatorum tractatam: Denique monstrabimus, quam in convenienter reservata Imperatoria vel ex propriis Jura Statuum impugnantium principiis istis Juribus opponantur, & quid ulterius in comparatione Jurium superioritatis cum Reservatis Imperatoriis, monendum videatur.

§. 3. Quod initio Superioritatem Territorialem attinet, cum in ejus dijudicatione præjudicium faciat hypothesis de justo Status Imperii conceptu, quoniam & hic mirum in modum variant Dd., brevitatis causa suppono, quod essentialia

B

Status

Status Imperii requisita sint immedietas bonorum, & votum accessio in comitiis, quodque ex hoc utroque requisito profluat Superioritas Statuum, quæ jam alibi latius fuerunt deducta in *dissert. de feudis oblati cap. 2. §. 27. 28. & in notis ad Monzamb. cap. 2. §. 1. & 2.* His autem suppositis definitio superioritatem territorialem, quod sit potestas summa tam in Ecclesiasticis, quam in Politicis, Statibus Imperii in territorio suo competens, nisi restrictio vel ex pacto legum publicarum, vel ex pacto cum subditis appareat. *Conf. Ill. Dn. de Rhez. Instit. Jur. Publ. Lib. II. Tit. 1. §. 10.* Dico quod sit summa potestas. Ridebant hanc sententiam vel indignabantur ei philosophiæ scholasticæ affectæ, cum Monzambano primum indirectè & per consequentiam magis, quam expressis verbis eam inferret *cap. 5. §. 28.* alius verò quidam personatus Autor Relfendso Heromontanus *tr. de Summa Princip. Germ. potestate c. 3.* & Bernhard Köhne *Dissert. de Modern. Elect. Sacri Imperii statu pag. 36. seqq.* audacius assererent. Sed postea penitior inspectio Imperii Germanici, & mutationis potissimum consideratio, quam ejus forma extinctâ familiâ Carolinâ passa fuerit, & quæ incrementa variis occasionibus illa mutatio postea sumferit, doctrinam illam tolerabiliorem fecit, etsi ob inveterata præjudicia non planè arriserit omnibus. Cordatiores ex dissentientibus admittunt, esse potestatem Majestati æmulam, rationibus tamen talibus, quæ lectori non præoccupato facilè offendunt, causam dissensionis reverà nullam subesse. Nam Dn. Kulpis. *ad d. §. 28. c. 5. Monzamb. & Dn. Schvederus introd. in jus publ. Part. Spec. Sect. 2. §. 3.* qui ob singularem eruditionem & modestiam, hic instar omnium esse poterunt, nulla fortiore ratione utuntur, dum adstruunt, superioritatem Territorialem esse infra summam potestatem, eiqve subalternam, ac non verè summam, quam quod Status Imperii teneantur subjectione Feudali Imperio aut Imperatori. Sed quemadmodum ad id, ut & ad reliqua quæ urget Dn. Kulpisius jam responsum est in *notis ad d. c. 5. Monzamb. §. 28. potissimum lit. d. & i.* ita vel ejus imbecillitatem agnovit, qui aliàs ad nauseam in variis libellis istud argumentum urfit, personatus Burgoldensis *ad Instrum. pac. Part. 1. disc.*

Disc. 10. §. 15. p. m. 261, *¶* Cuius quidam non adeo pridem questionem. An Dominus Feudi respectu vasalli sui Majestatem habere dicatur? negabat. Contrarium enim verius esse; neque Dominum Feudi absolutam habere potestatem in hominem suum, neque Vasallum esse Domini sui subditum. Homagium quidem prestare vasallum suo Domino (Lehneyd) verum hoc non esse juramentum subjectionis, sed tantum fidelitatis. Hec opinio non omni fundamento carere videtur. Vid. Arum. Vol. 2. Disc. Acad. 26. §. 69. Dn. Cellar. l. 2. Polit. c. 19. n. 15. & c. 18. n. 8.

§. 4. Habet & aliam rationem Dn. Schwederus d. l. §. 2. p. 868. *Est Superioritas Territorialis*, inquit, *summæ potestatis genus quoddam analogum, quod & nomen arguit. Vocatur enim Superioritas Territorialis. Superioritas autem simpliciter dicta summa Potestas Civilis intelligitur. Inst. Pac. Cas. Gallic. §. itemque dictus 74. In Statibus Imperii autem non simpliciter superioritas, sed cum additamento, superioritas territorialis vocatur. Adjectio igitur verbi Territorialis deminutionem quidem summæ potestatis subindicare videtur. Ludolph. Hugo de statu Reg. Germ. c. 2. n. 9. Hic, ut taceam, Virum Clarissimum voce generis analogi hic in significato magis vulgari, quam apud Logicos recepto videri uti, aliàs non dicere potuisset, adesse potestatis summæ deminutionem, aut p. 870. non esse potestatem verè summam, (Nam qui alias terminum analogi in significato Logico utuntur, parùm à nobis discrepant. Conf. Ziegl. de Jur. Majest. I. 3. 22. p. 80.) ista doctrina de differentia superioritatis & superioritatis territorialis varia admittit monita. Etsi enim vox superioritas fortè Jafoni originem debeat, qui in l. Imperium 3. ff. de Jurisd. summam politicam potestatem sic vocavit; Textor Dissert. de Jurisd. Territ. th. 8. etsi stilo Juris Romani territorium ferè de privatis agris, aut magistratum inferiorum districtu sumatur, quâ de re evolvi possunt Lexicographi, etsi in allegato §. Instrum. pacis Cas. Gallic. ubi Landgraviatus Alsatix & Suntgovix cum omnimoda jurisdictione & superioritate, supremoq; Dominio Regi Gallix transfertur, per superioritatem intelligatur majestas: tamen inde non inferri potest, quod per superioritatem territorialem intelligatur potestas majestate minor. Nam vox territorii hic magis sumenda usu Politico & Jnr. Publici, quam usu Juris Romani. Hoc vero*

usu per territorium intelligi quemcunque cujuscunque distri-
ctum agrorum, ita ut etiam de regnis & principatibus superio-
rem planè non agnoscentibus sumatur, notius est, quo in signifi-
catu etiam Illustr. L. Baro à Friesen sub directione Illustr. Ordini-
arii nostri Dissertationem *de Jure Principis extrà Territoriam* con-
scripsit. *Conf. Casarin. Furstin. de suprematu cap. 10. p. 29.* Deinde
in Legibus publicis Germaniæ superioritas & superioritas Terri-
torialis promiscuè usurpantur, & nunquam ista duorum termi-
norum distinctio ostendi potest. Etsi enim vox *Territorii* in isto
articulo *Instrum. Pac. Cæs. Gall.* fuerit omissa, id tamen non ideò
factum, quasi illa non capax fuerit exprimere intentionem
paciscentium, sed ut evitetur tautologia: Landgraviatus enim
est ipsum territorium. Si igitur dictum fuisset: Debet Landgra-
vatus cum superioritate territoriali pertinere ad R. G. idem fuisset,
ac si dictum esset: Debet Territorium cum superioritate terri-
toriali transferri. Non inspexerunt credo, qui istius diffe-
rentiæ imaginariæ autores sunt *Artic. 5. §. quantum deinde 30. In-*
strum. Pac. Cæs. Svec. ubi de Statibus Imperii immediatis prædica-
tur *Jus Territorii & Superioritatis.* Sive enim hic jus territorii &
jus superioritatis ut distincta considerare, & prius ad Nobiles, po-
sterius ad Comites & Barones, item Civitates, de quibus præcesse-
rat, restringere velis, quod defensum in *Dissert. de feudis oblati c. 2.*
§. 30. lit. b. id quidem sequetur, differre jus territorii & superiori-
tatem territorialem, non autem differre superioritatem, & su-
peritatem territorialem; sive jus territorii & jus superioritatis
velis synonymicè accipere, patebit, territorialem superioritatem
& superioritatem simpliciter dictam etiam esse synonyma. Ne-
que terret me denique autoritas Ludolphi Hugonis, cum facilè
constet, ex quo fonte illa sententia de restrictione Majestatis per
adjectionem territorii ortum ducat, si quis consideret, quæ Rein-
kingius scripsit *de Regim. Sec. & Eccles. lib. 1. class. 5. cap. 3. n. 6. seq.*
Illud propriè dicitur territorium, quod intrà jurisdictionem supremi
Principis situm est. Et si quæ ei sunt annexa, provincia, non territo-
ria dicuntur. Rutger. Ruland. de commiss. P. I. L. 5. c. 5. n. 20. Alii di-
stinguunt inter Territorium majus & minus. Regnum habet Territorium
Regni, in quo sunt Ducatus, Comitatus, Civitates & Castra. Et ta-
men

men quilibet Ducatus, Comitatus, Civitas & Castrum etiam suum habet territorium invicem separatum, comprehensum tamen in majori territorio regni & utrumque suo respectu dicitur quid universale. *Ruin. Conf. 22. n. 5. l. 1. Card. Tusch. Pract. Concl. 49. n. 4. verb. Territorium, Indequae Imperatoris superioritatem, Imperialem, respectu inferioris territorialis superioritatis, distinctionis gratia appellare, tum etiam hisce verbis innuere volui, quod Territorialis inferiorum potestas intelligatur salvâ & illasâ Imperialis Potestatis recognitione. Quo sensu dicitur: Caesaris & Papae jurisdictionem non restringi ad limites alicujus terricorii. Socin. Conf. 237. col. fin. lib. 2. Alex. Conf. 77. col. 1. ad fin. Cravett. Conf. 128. n. 2.* Sed ista quidem recensere, simul refutare est, cum centones isti responsiones secum ferant.

§. 5. Uti vero ex adducto *Art. 5. §. 50. Instrum. Pac.* satis perspicere licet superioritatis vocem in legibus imperii fundatam esse, & praeterea ejus mentio quoad synonymum *Landes-Fürstlicher hoher Obrigkeit / hoher Landes-Obrigkeit /* &c. fit *Cap. Leopold. §. 3.* Ita plenitudo hujus potestatis, id est res ipsa cum nomine graviter describitur *in artic. 8. §. 1. Instrum. Pacis. Omnes & singuli Electores, Principes & Status Imperii Romani in antiquis suis juribus, prerogativis, libertate, privilegiis, libero juris territorialis, tam in Ecclesiasticis, quam in Politicis exercitio, ditionibus, Regalibus, horumque omnium possessione, vigore hujus transactionis, ita stabilitè firmati sunt, &c.* In quibus verbis simul innuitur, superioritatem territorialem quoad rem ipsam (etsi augmenta ultimis temporibus majora senserit) non esse inventum novum sed ad antiqua jura pertinere, & de origine ejusdem latius alibi dictum est *ad cap. 3. Momzamb. & in Diss. de feudis oblati.* Huc pertinet quod jam ab initio Capitulationum promiserint Imperatores, quod nolint turbare Status Imperii in jure territoriali. Non melius autem plenitudo potestatis seu majestas in voce superioritatis territorialis latens describi poterat, quam per *liberum exercitium juris Territorialis tam in Ecclesiasticis quam Politicis.* Uti enim character majestatis est, esse *liberum* ab omni imperio alterius propriè sic dicto & neminem hac parte suprâ se quam Deum agnoscere, ita etiam Status Imperii hâc libertate pollent, & jure proprio exercent regalia majestatica, non jure ab arbitrio aut imperio alieno

dependente (*add. not. ad Momzamb. cap. 5. §. 28. p. 306. lit. i. ubi dis-*
sentienti Dn. Kulpisio responsum,) & inde etiam titulo Dei gratiâ, von
Gottes Gnaden gaudent. Quod argumentum si eo saltem pro
illustrante, non probante utamur, non poterit displicere doctri-
næ Dn. Schwederi *Part. Spec. sect. 2. cap. 10. §. 4. p. 871. junct. cap. 1.*
§. 14. p. 196. seq. Deinde Regalia Majestatis summam dividi pos-
sunt in potestatem circa sacra & profana, seu in potestatem circa
Ecclesiastica & Politica. Sic enim eam methodum secutus duos
eruditos tractatus conscripsit Dn. Henniges, de summa Imperato-
ris Romani potestate, unum de potestate circa sacra, alterum de
potestate circa profana. Ut adeo liberum exercitium superio-
ritatis territorialis tam in Ecclesiasticis, quam Politicis denotet,
ad superioritatem territorialem pertinere omnia regalia majesta-
tis, & liberum exercitium tam in Ecclesiasticis quam in Politicis
correspondeat summæ potestati *ubique*, quâ circumscriptione
Aristotelici in definienda Majestate, ut notum, uti solent.

§. 6. Possemus etiam rem per inductionem probare, ad
Status Imperii pertinere regalia omnia, si modo hæc recensio
tam facilis foret, cum Regalia ferè possint esse infinita, pro infi-
nito objectorum numero, circa quæ Majestas, tanquam ex cen-
tro radios potestatis suæ diffundit. Prætereà uti difficile est in Sa-
xonia recensere partes hereditatis ad Geradam muliebrem per-
tinentes, cum mira hic & continuo varians deprehendatur varie-
tas, ita & in Regalibus, i. e. in objecto potestatis suæ inconstan-
tia laborarunt & ad huc laborant Reges & Principes, homines
enim sunt. Ita tyronibus Institutionum inculcatur: Jus venandi,
res in littore maris inventas acquirendi & similia, quæ Jure Justi-
niano ad regalia non pertinebant, hodie regalibus accenseri.
Huc pertinent, quæ collegit Zieglerus *de Juribus Majest. l. 1. c. 3.*
§. 23. p. 80. seq. *Sunt quedam regalia, quæ ex lege positiva talia sunt,*
aut moribus hominum ita recepta. Usu enim & consuetudine induci
potest, ut jura, quæ olim regalia non fuerunt pro Regalibus hodiè ha-
beantur & vicissim. -- Quo refero, quod Imperatores Romani non usi
sint vulgari atramento in subscriptionibus literarum, sed encusto colore
-- ne facile possit committi dolus vel falsum in literis. -- Sed si
quis hodiè inter regalia id referre voluerit, ridiculus erit, & è Tantalii
horto

horto fructus colliget, sive quod intercidit coloris purpurei mistura & temperatura id artificium, -- -- sive quod ipsi Imperatores uti eo sponte desierint, & inter regalia habere amplius noluerint.

§. 7. Quæ cum ita sint, non benè videntur connexa esse, sed ex dictis refutari posse, quæ Vir Celeberrimus posuerat in paulo præcedente §. 19. p. 79. Utilissima & in praxi frequens est hæc materia, dum sæpè nova sibi Principes formant regalia, & subditis usum eorum interdiciunt, atque ex solo eo nomine, quod regalia sint & dicantur, incapaces eos faciunt, aut possessionis titulum exquirunt. Etsi enim contra vulgarem regulam, quâ nemo possessionis suæ titulum edere tenetur l. 11. C. de petit. hered. in vasallo aliud receptum sit, atque is ut titulum suæ possessionis indicet, cogi, aut si non fecerit, expelli à Domino possit. Hartm. Pistoris part. 2. qu. 46. tamen quia non solâ infeudatione, sed aliis etiam modis regalia ejusmodi, non quidem ut regalia, sed ut alia involumenta acquiruntur, perquam iniquum erit, Principem solo regalium nomine subditis eadem auferre. Atque sic respondit Fac. Jur. Witt. an Bürgern. und N. zu J. III. Januar. 1672. Wann nun gleich vorgeschützt wird / daß der Städte Cavillereyen unter die Regalien eines Landes Fürsten gehören / und dergleichen Keines anderer Gestalt / als titulo infeudationis & investituræ bey einem Unterthanen seyn / vielweniger von ihm besitzet werden können / von euch aber / daß solches geschehen / nicht beygebracht worden: Dennoch aber und dieweil die Cavillerey Gerechtigkeith in den Fürstenthümern und Landen Deutscher Nation vor ein Regale niemals gehalten worden / die Regalia auch / da sie gleich darunter zu rechnen wären / nicht nur titulo infeudationis & investituræ, sondern auch præscriptione von den Unterthanen acquiriret werden mögen / und ihr beyzubringen getrauet / daß ihr von undenklichen Jahren in justâ & quietâ possessione der Cavillerey gewesen / dieselbe von 160. Jahren her aus dem gemeinen Fisco im baulichen Wesen erhalten / die Scharffrichter angenommen / und nach Befinden abgesetzt / sonsten aber damit niemalen anders / als mit einem bono allodiali gebahret / so erscheinet dannenhero allenthalben so viel / daß ihr nebst denen Innungs Meistern restitutionem in integrum zu suchen wohl befugt / und bey denselben nochmals zu hören. Ut taceam, etiam hunc locum Ziegleri & sententiam adductam parum

rum cohærere, sed rationes dubitandi fortiores esse rationibus respondendi. De præscriptione subditis contra Principes non competente modo dictum fuit peculiari dissertatione. Et, dum hæc scribo, à Facultate Juridica Academiæ nostræ responsum petitur in causa duorum Carnificum, à Comite Imperii de eâdem Carnificina investitorum, uter alteri ratione investituræ præferendus sit. Est inter regalia Majestatis jus quæcunque privilegia concedendi, cur non ad hujus regalis classis referri posset concessio juris Carnificiarii?

§ 8. Poterunt tamen Jura Majestatis in certas classes referri. Recensebimus eas ex ipsius Ziegleri laudato tractatu. Potissima secundum illum sunt: Leges concedere, magistratus constituere & bellum gerere, *d. t. 3. §. 25. p. 82.* Sed quis hæc summa genera denegaret Statibus Imperii, cum & usu & legibus Imperii illa exerceant & confirmata sint. Porro & fusior recensio jurium Majestatis, quam præmittit syllabus Dissertationum Zieglerianarum, nostro scopo inservire poterit. Puta; Jus ferendi Leges: Jus interpretandi easdem, dispensandi, aggratiandi, restituendi, legitimandi, veniam ætatis concedendi, & dandi privilegia: Jus circa sacra & religionem: Jus erigendi Academias, creandi Doctores, Licentiatos, Magistros, Baccalaureos, Poëtas, & Notarios publicos: Jus conferendi dignitates tum Ecclesiasticas, tum civiles: Jus constituendi magistratûs & extremæ provocationis: Jus habendi comitia & mittendi Legatos: Jus belli: Jus repressaliarum: Jus fortalitorum extruendorum, præsidiorum, imponendorum, armandiarum, fœderum, induciarum & pacis faciendæ: Jus Commerciorum: Jus constituendi mensuras & rerum pretia, permittendi & prohibendi monopolia, & concedendi rescripta moratoria: Jus monetæ: Jus collectandi: Jus vetigalium: Jus venandi: Jus fluminum publicorum, pontium & pontonum: Jus viarum publicarum: Jus circa cursus publicos & postas: Jus circa mineralia & thesauros: Jus conferendi insignia. Jam percurrere singula, & deprehendes, quod illa omnia jure superioritatis territorialis exercentur libere à Statibus Imperii. Modo attendere velis ad limitationem in definitione supra additam: nisi restrictio vel ex pacto legum publicarum, vel

ex

ex pacto cum subditis appareat. Quæ tamen limitatio communis est omni Majestati, pactis potestatem suam restringere, salvâ essentiâ suâ. Aliud enim est restringere potestatem suam, aliud minuere. Neque te turbabit, quod mentionem fecerim, pacti legum publicarum. Etsi enim aliàs lex & pactum maxime differant, facit tamen irregularitas reipublicæ Romano-Germanicæ, & quia Status non sunt subditi propriè dicti, ut ipsos Leges publicæ non aliter obligent, quàm per modum pacti. De Instrumento pacis non est dubium. Capitulatio pactum est inter Imperatorem & Electores nomine Statuum. Recessus Imperii per modum pacti obligare ostensum à Monzambano *cap. 5. §. 26.* & confirmatum *ibid. in notis.* Aurea Bulla an per modum pacti confecta sit, dubium est, ob verba ambigua præemii ejus, quod *in solenni Curiâ Norinbergensi assidentibus omnibus Principibus, Electoribus Ecclesiasticis & Secularibus, ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium & Civitatum multitudine numerosa, &c. maturâ deliberatione præviâ, de imperiali potestatis plenitudine edita sit.* Conf. *Limn. ad dict. præem. obs. ultimâ.* Sed & valdè dubium est, an & in quantum Status Imperii, & imprimis Electores eâ obligentur. Res peculiarem disquisitionem meretur. Interim fortè nemo erraverit, qui asseruerit, quædam in A. B. contenta mutato Imperii Statu simul tacitè mutata esse, ut quod de cibandis pane & aquâ Electoribus in casu dilatae Electionis *ibidem* asseritur, & si quæ sunt similia. Conf. *Limn. observ. prælim. ult. ad A. B. Notas ad Monzamb. I. 3. lit. o. p. 27. seq. & IV. 5. lit. u. p. 200. seq.*

§. 9. Ex his autem facile responderi potest ad potissimas objectiones, quæ vel ex legibus imperii, vel ex sententia communi Doctorum contrâ assertionem nostram afferri solent, aut possunt. Initio quod vectigalia & commercia concernit, notabilis est locus in Recessu Imperii de anno 1574. §. *Weiters sind wir 116. seq. quem, quia & in sequentibus ad eundem respiciendum erit, non pigebitus apponere. Weiters sind wir auch warhafftig berichtet worden / daß etliche Stände ohne unsern Kayserlichen Consens, auch ohne Bewilligung Unserer und des heiligen Reichs Churfürsten / sondern für sich selbst mit eigener That hin und wieder*
C im

im H. Reich Teutscher Nation zu Wasser und Lande theils neue
Zölle anzustellen / theils ihre alte Zölle zu ersteigern angefangen / und
dasselbige auch zum theil unter den Nahmen Ungelds / Aufschlags /
Brücken-Gelds / oder Weg-Gelds / und was des Scheins mehr /
verantwortet werden wolle: Dadurch denn nicht alleine die gemeine
Gewerbe / Commerciën / Victualien und alle Handthierungen zu
noch höhern Aufschlag / Werth und Theuerung mercklich getrie-
ben / auch leichtlich Ursache zur Ungedult / und schädlicher Empö-
rung geben möchte / sondern wil auch das alles zu Unserer Kayserl-
besondern Hoheit und Reservaten / dann so wohl zu Unseren Kay-
serlichen als auch der Churfürsten Reputation, Veracht / Schmä-
lerung und Abbruch de facto durchgebracht und fortgesetzt werden /
u. s. w. Derohalben / damit in diesen auch Unsere und der Chur-
fürsten Reputation zu keinen Veracht noch Schmälerung gerathe /
dann auch das gemeine Beste / wie Uns aus Kayserlichen Amt für-
nemlich oblieget / gefördert werde / haben Wir ganz nöthig zu seyn
gnädiglich ermessen / derentwegen mit unsern Kayserlichen Schrei-
ben u. s. w. zu befehlen u. s. w. auf nächst kommenden Creyß-Tagen
u. s. w. Erkundigung zu thun u. s. w. Cui respondet Capit. Leopold.
art. 21. Wir sollen und wollen auch u. s. w. keinen Zoll von neuen
geben / noch einige alte erhöhen oder prorogiren lassen u. s. w. es seyen
denn die benachbarte und interessirte Stände u. s. w. darüber ver-
nommen / und hernach aller und jeder Churfürsten Wissen / Willen
Zulassen / und Collegial-Rath mit einhelligen Schluß u. s. w. vor-
gegangen u. s. w. Dieweil sich aber zuträgt / daß zwar die Nahmen
des Zolls bisweilen nicht gebraucht / sondern unter dem Mißbrauch
und pretext einer Niederlage und Staffel-Gerechtigkeit / oder son-
sten von den auf- und abfahrenden Schiffen und Waaren eben so
viel / als wenn es ein rechter Zoll wäre / erhoben / u. s. w. so sollen
alle / und jede dergleichen u. s. w. vornehmen u. s. w. null und nichtig
seyn u. s. w. Doch soll denjenigen Privilegien / welche Churfürsten /
Fürsten und Stände des Reichs samt der gefreyten Reichs-Ritter-
schafft von woyland denen vorgewesenen Römischen Königen / oder
Kaysern / zur Zeit / da der Churfürsten Consens per Pacta & Capi-
tulationes noch nicht also eingeführet oder nöthig gewesen / recht-
mäßig erlangt / oder sonst ruhiglich hergebracht / hierdurch nichts
präju-

præjudiciret oder benommen / sondern von Uns auf gebührendes
Ansuchen vermöge und in Krafft des obgesetzten dritten Artickels
confirmiret / und die Stände darbey ohne Eintrag männiglichs ge-
lassen ; alle unrechtmäßige Zölle / Staffel und Niederlage aber /
oder derselben Mißbräuche / da einige wären u. s. w. cassiret und ab-
gethan u. s. w. werden / u. s. w. Ex his omnibus patet , non qui-
dem competere Statibus Imperii jus instituendi vectigalia & sta-
pulas sine consensu Imperatoris & Electorum consensu unanimi,
sed ex Pacto Recessuum aut Capitulationum , quo pertinent ver-
ba : Da der Churfürsten consens per pacta & capitulationes &c.
Adeoque ex hac exceptione vectigalium & stapulæ, non quidem
poterit naturæ Juris Majestatici Statuum aliquid detrahi. Nec
obstat, quod mentio Pacti *in. d. artic.* saltem respiciat consensus
Electorum necessitatem, & restrictionem per eum factam Re-
servatorum Imperatoriorum , quæ Reservata obstant Statibus,
etiamsi consensus Electorum per pacta non fuisset requisitus,
quo minus Jure proprio vectigalia & stapulas possint introduce-
re. Nam ad hanc objectionem infra , ubi de reservatis Impera-
toris dicemus, respondendum erit suo loco. Interim jam anti-
quitas querelas de abusu vectigalium fuisse, adeoque jam à lon-
go tempore Status ad hunc abusum coercendum cum Imperatore
pacta iniisse, patet ex Recessu Imperii Rudolphi I. de anno 1287.
& quæ inde excerpfit Lehmannus, *Chron. Spir. lib. 5. cap. 108.*
pag. 629. & Limn. ad Capit. Car. V. artic. 18. verb. von neuen geben
pag. 239.

§. 10. Hic saltem ita *ex d. artic. verbis* : Doch soll denjenigen
Privilegien &c. continuandum, quod Statibus, qui ante illa pa-
cta Capitulationum jam habuerint jus aliquod quæsitum, intuitu
vectigalium aut stapularum, per illas capitulationes non præju-
dicari debeat. Inter hos sunt Potentissimi Electores Brandenbur-
gici, qui speciale privilegium ab Imp. Friderico III. 1456. indul-
tum acceperunt, ut in territoriis suis & regionibus, quæ tùm pos-
siderunt, & in iis quæ postea acquisiverunt, possint pro lubitu
nova vectigalia instituere & vetera augere, quod privilegium re-
censet Limn. *Tom. I. Addit. lib. 5. c. 7. n. 136. p. 844. & ad artic. 9.*
Capit. Maxim. II, verb. gar nicht gestatten p. 493. Ill. Dn. de Rhez. In-
stit.

lit. Jur. Publ. I. VI. 24. & I. XIII. 4. Mirandum itaque, quod cum res plana sit, difficultates hic subesse sine causa asserat Dn. Henrigo de potestate Imper. circa profana cap. 7. §. 11. p. 468. Quoniam autem feruntur Statibus quidam vetera privilegia ab Imperatoribus habere, quorum virtute pro lubitu eis, & instituere nova vectigalia, & vetera augere licet, an illis per capitulationes derogetur, ardua est questio, vix à privato homine agitanda, licet haud malè Limnæus conjecturetur, non impediri in usu suo, qui talia jura legitimè nacti sunt. Justa enim & recta hæc potestas. Capitulationes autem de clandestina, & iniusta usurpatione loqui certum est. Notaverat ista absque suppositione tam ardui latentis dubii, Limnæus ad capit. Maxim. II. d. 1. in qua clausula illa artic. 21. Cap. Leop. Doch soll denjenigen &c. non dum erat adjecta, eâ vero in capitul. Ferdin IV. art. 20. primum accedente, dubium amplius, etiamsi aliquod antea subfuisset, remanere non debebat, unde & ipse Limnæus in notis ad d. art. 20. eam salutarem clausulam appellat. Et jam anno 1612. Joh. Sigismundus Elector Brandenburgicus in recessu provinciali art. 17. Ob wohl um Erlassung des neuen Zolls von dem Korn / so zur Achse und Wasser in fremde Lande verführet wird / durch die sämtliche Prälaten / Herren und Ritterschafft / ganz inständig mit grossem Fleiß und Eysser unterthänigst angelanget worden / dieweil es aber ein sonderliches und fürnehmes Regal-Stück des ganzen Churfürstenthums / welches Churfürst Joachim der Andere dieses Nahmens von der Römischen Kayserlichen Majestät / mit Bewilligung des ganzen Churfürstl. Collegii ob benè merita erlanget / auch nachgehends von Kaysern zu Kaysern confirmiret worden: als könne er sich dessen keines weges begeben: uti attulit idem Limnæus ad artic. 18. capit. Car. V. voce Willen p. 243. & latius videri potest apud Schepliz ad Consuet. March. part. 4. tit. 5. §. 3. n. 3.

§. 11. Patet simul ex dictis, competere Potentissimo Electori Brandenburgico etiam illud singulare præ aliis Statibus Imperii, quod possit in terris suis, five antiquitus, five noviter acquisitis, si conducere id utilitati publicæ visum fuerit, nova jura stapulæ introducere, & hujusmodi privilegia urbibus ditionum suarum concedere. Apparet enim ex d. artic. 21. Cap. Leopold. quod

quod multi Status sub prætextu juris stapulæ contra leges Imperii
 augmenta vectigalium introducere ausi fuerint, unde propter
 eum ab usum prohibitio introductionis novorum vectigalium, &
 auctio veterum etiam ad jus stapulæ fuit extensa, salvo tamen
 ubique jure eorum, qui ab antiquo tempore per privilegia aut
 alio justo modo jus quæsitum habeant, inter quos cum sit Ele-
 ctor Brandenburgicus, si fortè non solus sit, patet etiam, quod
 salvum ipsi vigore privilegii manserit regale introducendæ sta-
 pulæ. Nam stapula est vectigalis species. Unde Limn. *ad art. 20.*
Capit. Ferdin. III. verb. nicht gebraucht p. 705. Varia hic prætexun-
tur nomina, gravamen tamen unum est & idem. Nomina sunt: Un-
geld / Aufschlag / Brückengeld / Weggeld / Niederlage / Stapel-
Gerechtigkeit. Et Ziegler. de jurib. Majest. lib. 1. c. 42. §. 1. p. 743. seqq.
Jus stapulæ diversimodè se habet, nec unius modi est in omnibus locis.
Definiri potest, quod sit jus civitatis de certis quibusdam mercibus atti-
nendis, ut in certo loco exponantur, vel solvendi vectigalis, vel vehicu-
la aut naves mutandi, vel vendendi, vel denique censuram subeundi
gratiâ, concessione Principis, vel præscriptione acquisitum. Diversitas
hæc finis difforme facit, & multiplex jus stapulæ. Non enim semper in-
cluditur necessitas vendendi, ubi exerceri consuevit jus stapulæ, sed
quandoque in sola solutione vectigalis, aut mutatione vehiculorum
terminatur, adeoque privilegium tale strictissimè & secundum verborum
tenorem est intelligendum. Joh. Marquard. de jure mercatur. l. 2. c. 6. n. 33.
 Quamvis quæ in verbis ultimis de interpretatione strictâ privile-
 giorum adduntur, vel de privilegiis quæ municipiis concedun-
 tur, intelligenda, vel veritati vix convenientia sint, non tam
 propter *l. 3. ff. de Constit. Princ.* quam propter generalem doctri-
 nam de interpretatione privilegiorum, quæ, quoniam ferè tota
 per communem doctrinam corrupta est, peculiarem Dissertatio-
 nem meretur. Id potius exinde patet, ita immixta esse jura ve-
 ctigalium & jura stapulæ, ut utrumque quidem fit latius altero,
 sed utrumque tamen diverso respectu possit alterius species esse,
 quæ immixtio facit, ut quemadmodum unum sine altero com-
 modè tolli aut restringi nequeat, *arg. d. art. 21. Cap. Leop.* ita nec
 unum sine altero exerceri. Et parum juvabit, si dicere velis *in*
d. art. 21. esse saltem prohibitum exercitium juris stapulæ, quod
C 3
speciem

speciem vectigalis habet, adeoque Status in clausula: Doch soll denenjenigen Privilegien &c. exemptos, etiam vi juris exempti de vectigalibus, non posse aliud jus stapulæ prætere quod speciem vectigalis habet, cum exceptio debeat contineri sub casu regulæ, neque regula latior esse. Nam hic ego urgerem. Aut reliqui Status non exempti à regula possunt vigore superioritatis territorialis novas stapulas in casibus illis, qui non pertinent ad species vectigalium, introducere, aut non possunt. Si prius, poterunt idem etiam vigore superioritatis territorialis à regula exempti. Si posterius, aut ab exercitio illo prohibentur, ne fraus fiat regulæ, adeoque per mentem regulæ, & tum per rationem, contrariam exempti ab illa regula vigore exemptionis poterunt, quod contenti sub regula non possunt; aut, quod jus stapulæ concedendæ sit reservatum Imperatoris, & tum ostendent infrà dicenda, hanc rationem falsam esse & non inferre.

§. 12 Patet etiam ex dictis, quod de Jure vectigalium sæpius soleant Principes pacisci cum propriis subditis. *vid. Schepliz ad Consuet. March. dicta Parte 4. tit. 5. per integr.* Cui recessus Provinciales Statuum cogniti sunt, ii norunt, quod & sæpius de reliquis regalibus in iis conventiones inter principem & subditos iniri, & Principes Statibus suis Provincialibus literas reversales dare soleant. *Conf. Dn. Fritschium integr. tractatu de Conventibus provincialibus.* Conqueritur equidem pius hic Jctus *ibid. in c. ult. n. 6.* quod Principes sæpè à Consiliariis Machiavellicis seducti Pacta ejusmodi, aut literas reservales non observent, & multa quandoque adversus ea committere soleant, Nec id sine ratione, cum in Aulis ut plurimum regnet obsessio Principum, etiam ad amorem erga subditos inclinantium, à caterva ejusmodi hominum, sub prætextu augendi ærarii Principis, aut etiam augendæ potestatis & autoritatis iniqua & tyrannica consilia suppeditantium. Interim tamen nec id diffitendum, non ubique unum eundemque esse obligationis gradum, ne quidem in conscientia Principis. Sæpè enim Princeps adigitur ad reversales in quibusdam punctis, quæ aut lege Dei prohibita sunt, aut contra jus ab ipso postulantur, idque partim ob errorem communem, ut quando communiter ferè initio suscepti Regiminis moris est, ut Principes promit-

promittant subditis, quod nolint dissentientes in religione tolerare, aliquando etiam, quod velint illos pœnis humanis coërcere; partim justo metu adactus, ut quando Status talia à Principe postulant, ad qualia Princeps jure stricto non poterat adigi, ii tamen acsi jure suo ista postularent, prætendunt, & petitionibus quidem in speciem humilibus, sed quæ tamen minas plusquam Joabicas II. Sam. XIX. 7. tacitè vel etiam expresse continent. Res, nisi odiosa esset valdè, illustrari posset non difficulter, exemplo uno vel altero etiam ex historia hujus seculi. Interim mereretur dignitas materiæ, ut peculiari discursu obligatio Principis ex ejusmodi reversalibus orta aliquando illustretur.

§. 13. Hæc de objectionibus quæ ex legibus Imperii contra jura majestatica Statuum afferri solent, sufficere possunt, (conf. §. 9.) jam paucis de iis, quæ ex communibus objectionibus scriptorum juris publici desumuntur. Eximunt illi ex classe jurium Majestatis suprâ recensitorum §. 8. recensita non pauca, puta, jus legitimandi, veniam ætatis concedendi, privilegia & dignitates dandi, erigendi Academies, creandi Doctores, Licentiatos &c. item Notarios, & quæ sunt similia, quæ à non paucis, iisque Imperatoriam dignitatem plus justo extollentibus denegantur Statibus & Reservatis Imperatoriis adscribuntur, quos inter Duces reliquorum ferè sunt Reinkingius, *de Regimine seculari & Ecclesiastico*, & Stamlerus *de Reservatis Imperatoris*. His ex opposito contradicentes alii, cum vel nimio amore erga Status, vel etiam odio Imperatoris laborent, ut Limnæus *in notis ad Capitulationes & alibi passim* contra Stamlerum disputans, & Hippolitus à Lapide *in integro libello de ratione Status*, æquè vitandi sunt. Nos inter ista duo extrema mediam sententiam electuri ex natura jurium Majestaticorum has controversias absque doctrina Reservatorum Imperatoris explicabimus, tum paucis ostensuri, quid istis *Reservatorum* Fabris respondendum sit.

§. 14. Initio supponimus. Regulariter omnia jura Majestatis præsumi cessare extrâ territorium. Deprehendimus eam in rem afferri solere *arg. l. ult. ff. de offic. Præf. urb. l. fin. ff. de Jurisd. l. Duumvirum 53. C. de Decurion.* & rationem, quod ordinariè simul & semel duo & diversi Principes de Territorio ejusque Juribus
non

non investiuntur: Knichen *de Jure Super. c. 3. n. 119.* item quod Territorii Dominus fundatam habeat jurisdictionem in omnibus, quæ territorii finibus continentur *arg. l. 1. §. 1. ff. de offic. Præf. urb. l. fundi ff. de act. Emt. cap. fin. de offic. Archipr. Gail. lib. 2. Obs. 62. uti plures textus citat*, item, quod, qui in alieno actus aliquos exercent, territorium violare dicitur & turbare Jurisdictionem. *Jas. l. 1. cons. 146. n. 40. v. 52. Gail. de pace publ. c. 16. n. 27. seqq. Knichen de jure Territ. c. 4. n. 27. & 31.* Sed istis quidem argumentis uti nolumus, cum quæstiones Juris publici parum pertinent ex jure Civili probentur, ut mox ulterius notabimus. Subest potius ratio Politica. Majestas est summa potestas in civitate. Regalia sunt radii Majestatis, quæ subditos proprios respiciunt. At subditi circumscribuntur territorio. Inde extra territorium reverà nulla exercent regalia, quia extrà territorium qui vivunt, regulariter subditi non sunt. Nam quod Cæsarinus Fürstinerius *de Suprematu Principum Germaniæ cap. 20. p. 63.* affert: Transeuntia in alios, atque extrà territorium porrigitia sese Principum, jura esse jus belli & pacis, jus fœderum, jus exercitus habendi, munimenti struendi, armamentarii adornandi, jus repressalium, vectigalium constituendorum &c. in eo agnosco partim vulgarem quidem, at abusivam etiam locutionem, partim exempla non benè selecta. Regalia transeuntia, ut jus belli, pacis, fœderum etsi respiciant Principes extrà territorium virentes, horum tamen tanquam parium respectu non sunt jura Majestatis, sed jura libertatis, regalibus tamen annumerantur in respectu ad subditos in territorio, quatenus illi Principem in exercitio horum jurium non turbare, sed potius etiam intuitu eorum obedientiam ei præstare, & subsidia afferre teneantur.

§. 15. Atque ab hac regula ne quidem Imperator exceptus est. Idque non solum intuitu Principum extra Romanum Imperium, sed & intuitu Statuum Imperii. Nullum siquidem jus hodiè Imperatori regulariter remansit in ditionibus Statuum, quod in præjudicium eorundem exercere possit. *Illustr. Dn. Baro à Friesen laudat. Dissert. de jure Princip. extrà territ. cap. I. n. 41. p. 13.* Idque nec negare ausus est Reinkingius *de Regim. S. & E. l. 1. Cl. 5. c. 1. n. 38. seqq.* idque passim loquuntur leges Imperii. *vid. Rec. Imp. August.*

gust. de ann. 1548. §. wiewohl auch in der Regierungs-Handlung/
junct. Rec. Imp. Aug. de ann. 1582. §. wir wollen daneben *ibi*: doch
den Churfürsten / Fürsten und Ständen an Ihrer hergebrachten
Ober und Gerechtigkeiten dadurch nichts benommen. *Huc pertinet*
& *vulgata clausula ac saepius repetita in Capitulationibus Caesareis*:
Churfürsten / Fürsten / Graffen / Herren und Ständen / bey Ihren
Hoheiten / Würden / Rechten / und Gerechtigkeiten / Macht und
Gewalt / jeden nach seinen Stand und Wesen bleiben lassen / ohne
unsre und männigliches Eintrag und Hinderung *ic.* Et non va-
let amplius hodie sententia antiqui juris: quasi totum impe-
rium censeatur ejus territorium, hincque omnia quæ inibi
agat, in suo agere credatur, juxta sententiam juris Saxonici
Land-Recht l. 1. art. 58. §. wenn der Graff *ic.* Unde si Imperator
aliquem à Statu infamiâ notatum famæ bonisque restituat
per modum gratiæ, non poterit is recuperare bona, quæ Sta-
tus interim jure acquirit, etsi Status ipsum ob delictum in
Imperatorem commissum bonis privaverit, cum jus quæsitum
jam habeant Status, quod tam facile per gratiam ab altero fa-
ctam interverti nequit. *d. Dissert. de jure Princ. extr. territ. c. 2. n. 17.*
Adde ego ex paritate rationis, quod nec Status teneatur ejus-
modi restitutum, jure stricto pro tali agnoscere in suo territo-
rio, eumque ad jura admittere, quibus homines integræ famæ
& infames secernuntur, nisi in quantum in id ex reverentia er-
ga Imperatorem condescendere velit. Adde quæ dicta sunt
alibi *in notis ad Monzamb. cap. 5. §. 27. lit. X. seq. p. 301. seq.* ubi
ostensum, quod & intuitu juris primariarum precum in terri-
toriis Statuum Evangelicorum exercendi opus fuerit, ut Im-
perator peculiari pacto id sibi reservaret, & quod Status Im-
perii ex justa causa talia requisita circum ponere possint iis, qui
dignitates aut alia privilegia ab Imperatore accipiunt, ne iis
haud observatis privilegio illo in territorio illius Status fruan-
tur, docente id constitutione Electorali Brandenburgicâ No-
biles noviter creatos respiciente. Unde sequitur, quod si Sta-
tus similes constitutiones v. g. intuitu Notariorum velint
formare, id ipsis licitum sit, cum abusus hac parte Comitum
Palatinorum sit & frequentissimus & evidentissimus.

D

§. 16.

§. 16. Habet tamen & hæc regula suas exceptiones, & valent quandoque regalia extra territorium, quod latius deductum est in tota dissertatione jam sæpius adducta; *de jure principis extra territorium*. Sunt autem varia fundamenta exceptionis illius à regula, quæ ad nostram intentionem non pertinent. Propius ad nostrum scopum accedit officium humanitatis & lex amicitia supponens mutuam indigentiam generis humani, eosque ad mutua officia, quæ alias jure stricto postulari non poterant, spontè exhibenda, disponens, ut videlicet alter mihi similia non deneget. Hinc profuit, quod inter omnes Gentes ex composito quasi sic observetur, ut Germanus Gallum Nobilem, Gallus Italum, hic Hispanum, ille Anglum iterum, Danumque pro Nobilibus in suis quoque regnis habeant: *d. dissert. de J. Pr. extr. Terr. cap. 2. n. 66. p. 57.* Nam id nimis longè quæsitum videtur, si hunc morem exinde deducere velimus, quod Respublica ab altera nobilitatos non admittens, videatur Judicium sibi sumere de ejus factis, quasi scilicet indignos ad hanc dignitatem promovisset, quod naturam Reipublicæ, præsupposito axioma, Rempublicam universali præditam esse intellectu, si non penitus interverteret, diminueret tamen multum, haudque levia turbarum semina in orbe terrarum jaceret; Aut: quod dignitatum collatio sit juris Gentium, hoc vero moratiores Gentes ex æquo obliget, quod etiam sic non parum difficultatis adderetur congressibus, commerciisque Rerumpublicarum, si altera ab altera missos eo respectu privare vellet, quem mittens tamen inditum ipsis voluisset &c.

§. 17. Interim cum inter homines frigeat amicitia & humanitas, neque ignem amoris mutua beneficia excitare soleant, sed communiter simulacrum ementiti amoris excitet metus, & correspondens huic in altero potentia, non mirandum, quod etiam iste valor regalium extra territorium maximè augetur, si proveniat à Principe potente, & diminuatur, si proveniat ab eo, qui parum potens est, aut cujus operâ non valde indigemus. Nimis notæ sunt proh dolor lites, si unquam, certè hoc seculo excitatæ super valore Legatorum apud Principem

perem exterum & solennitatibus eò pertinentibus. Retulerunt tamen nuper Novellæ tanquam insolitum: quod Legatus Regis Lusitani in Gallia curru utatur à tribus eqvorum bigis tracto, additâ ratione, quod Rex Galliæ in solitum istum morem ferat, quia opus habeat amicitia Lusitani.

§. 18. Jam ergo facile apparebit, quod & jura majestatica Statuum ex eodem fundamento valeant extra territorium. Ita Princeps Imperii subditum contra leges suas peccantem famæ restituens id efficit, ut is pro integra & legali persona etiam extra territorium restituentis habeatur: *d. dissert. de J.P. E. T. c. 2. n. 43. p. 52. seq.* Et Princeps subditum suum legitimans id operatur, ut hic subditus etiam extra territorium pro legitimo habendus sit, ubi de successione legitimated casus incidit. *Ibid. n. 50. seq. p. 54. seq.* Quod tamen ego semper intelligerem sublimitatione, quod id fiat ex jure non necessitatis, sed civilitatis, quod nempe deceat vicinum, vicini jura comiter tueri, quamvis alios videam distingvere inter bona immobilia, & mobilia, atque assertionem illam etiam de necessitate intuitu bonorum mobilium, item existimationis intelligere. Ita Nobiles ab Archiducibus Austriæ in ditionibus suis creati, valent in toto imperio. *Ibid. n. 68. p. 58.* Ita & Academia à Statibus potentibus instituta, ut est illustris Gvelfherbytana, etiam extra territorium valent, quatenus nempe, qui ibi operam dederunt studiis, in aliis Universitatibus postea habentur pro Studiosis, nec depositioni Beanorum solent submitti. Quid quod, si Status potens velit Doctores creare, imo Nobiles, uti ab omnibus subditis pro talibus vi superioritatis territorialis essent habendi, ita ex lege civilitatis & indigentia etiam habendi essent pro talibus in aliis territoriis, præprimis, si iste potens Status Nobiles & Doctores alios indirectè in suo territorio non admitteret, h. e. si illis tales leges & requisita præscriberet, quæ v. g. in multis Academiis Germaniæ præscribi solent Doctoribus extraneis, si velint exercere ibi privilegia Doctoralia, et si in creatione etiam Nomine Imperatoris jam acceperint potestatem legendi, & docendi in toto Imperio. Contra si deficiat potentia, deficit quoque existimatio, & inde dependens valor



regalium. Ita si v.g. civitates imperiales, præsertim obscuriores ex illis non paucæ, imò si & principes non potentes velint dicta hoc paragrapho ad se applicare, quia etiam Status sint, eundem errorem committerent, atque si quis pauper & infimæ sortis homo ab Imperatore ob singularem eruditionem Nobilis creatus, velit ad se applicare integros tractatus Jure-Consultorum, qui de privilegiis nobilium agunt; aut si Doctores vel etiam Nobiles Bullati velint ex Brautlacho l. 4. c. 5. n. 11. & similis doctrinæ scriptoribus sibi persuadere, quod Nobiles à Comitibus Palatinis ex privilegio Cæsaris creati per totum Imperium valeant. Nemo enim in praxi hæc de re dubitat, nisi totum Imperium. Et tamen isti Doctores doctrinas urgent, quæ usum habeant in praxi. Latrocinium est potentia sine jure. Sed & jus sine potentia miseria est, certè autoritate destituta est. Ad essentiam enim autoritatis omnis pertinet opinio de alterius potentia. Ex his principiis fortè defendi posset Cæsarini Fürstinerii Suprematus, qui hætenus communiter vapulavit, quamvis ea res ulteriorem mereatur dispectionem, neque hic tam ad istius suprematus applicationem, & conclusiones, quas inde elicit Autor, quam ad rem ipsam respiciam. *Confer. interim ejus cap. 10. p. 30. 31.*

§. 19. Eadem observatio viam monstrat, etiam intuitu Imperatoris multa secernendi, quæ communiter confundi solent, quæque adeò confusa doctrinam juris publici corrumpunt. Fundamenta Superioritatis Territorialis rectè quaruntur in temporibus liberorum Caroli Magni. Sed incrementa & splendorem, quo hodiè fulget, pedetentim accepit, crescente pedetentim potentiâ. Nexus Feudalis Statuum erga Imperatorem, & inde deducenda reverentia Sacræ Cæsareæ Majestati debita ab istis antiquis temporibus ad nostra usque semper idem fuit, quoad fundamentum, non semper idem quoad gradus & actiones externas. Res ipsa ex dictis loquitur. Quo major Cæsarum, & quo minor Statuum fuit & est potentia, eò plus viguit autoritas Imperatoris, etiam in territoriis Statuum effectum suum exerens. Decrescente potentia Imperatorum & crescente potentiâ Statuum, non potuerunt non ex natura generis

neris humani diminui reverentiæ in actionibus exterioribus signa. Olim cum magna potentia esset Imperatorum, conferebant dignitates Regales etiam exteris Principibus, quamvis & in exemplis quædam dubia admisceri soleant. *vid. Schweder. Part. Spec. Sect. 1. cap. 7. p. 335. Dn. Becm. Medit. Polit. Diss. 16. §. 3.* (ubi mutua hominum propensione & studio alios juvandi, secundum commune axioma: Omne Bonum est communicativum sui, hanc dignitatum extra Civitatem extensionem adscribit, quod jam suo loco relinquo.) Nec diffitendum multum hic olim valuisse vanam persuasionem, tyrannidis Pontificiæ, quæ disponebat Principes, ut Regium titulum etiam à Pontifice emendicarent, ergo non mirum, quod & ab Imperatore eum quærerent, tanquam summo Ecclesiæ Advocato & Defensore. Et jam Hippolithus à Lapide non ex suo cerebro, sed ex Goldasto notavit, *de rat. Stat. Part. 1. c. 16.* imprudenter eos fecisse, qui summam potestatem habentes ab Imperatore vel Pontifice Reges salutari voluerint, nec juris, sed facti hæc esse, atque ex vana persuasionem fluxisse. Ac nescio an benè causam hic contra Hippolithum egerit Slüterus *annot. ad d. l. p. 666. Circa Regum creationem, quæ dignitatum concessione continetur, hic non queritur, an Principibus liberis, ut Reges ab Imperatore creentur consultum sit? an magis propriè Reges dicantur, qui superiorum non habeant, quam qui ab Imperatore creati, ejus majestatem commiter agnoscant, in quibus & similibus Hippolithus frustra negotiosus est: verum hoc docetur, ejusmodi creationem ad Imperatoris reservatam pertinere. Conf. Burgold. P. I. disc. 10. §. 15. p. 261.* Non mirum adeò, cum temporibus Papatus collationem dignitatum, non ex necessitate, sed ob majorem splendorè putatitium quærerent ab Imperatore exteri Principes, quod & Status Imperii ex similitudine olim quæsierint collationem regalium jam vi superioritatis competentium, aut quod vanâ persuasionem jura sibi competentia non competere arbitrarentur, uti adhuc hodiè apud Principes Catholicos jus majestaticum circa sacra quiescit, quò ramen reverà gaudent. Sed quæ olim ita gesta sunt, non possunt hodiè post auctam Statuum potestatem, & post tot incrementa Capitulationum, item post dispulsas tenebras

Pontificias etiam suo modo & quoad interesse Politicum, in territoriis Statuum Catholicorum in præjudicium afferri. Ita idem Privilegium, quo Majores Potentissimi Electoris Brandenburgici acceperunt potestatem nova vectigalia instituendi, dedit etiam potestatem, daß sie auff ihren Wassern / wo / wie und wenn sie wollen / mühlen auffrichten / bauen / und derer nach allen ihren Gefallen brauchen und genießten sollen und mögen von aller männiglich ungehindert. Et Imperator Sigismundus, ad intercessionem Friderici Electoris Brandenburgici Anno 1427. quibusdam municipiis concessit privilegium, hat ihnen die besondere Gnade gethan / daß sie fürbas zu ewigen Zeiten / Stöcke und Galgen / (daß man nennet das Halsgericht) haben und über böse übelthätige Leute richten / und urtheilen sollen und mögen / als recht ist &c. At quis inde inferret, Status imperii hodiè non posse molendina extruere, aut municipiis suis jurisdictionem criminalem indulgere sine speciali concessione Imperatoris? Ac ita etiam intelligo, quod scribit Leuberus von der Magdeburgischen Stapel n. 18. Leipzig in Meissen hat seine Stapel-Berechtigkeit und Niederlage auch zwar immediatè von Römischen Kaysern und Königen / jedoch mit und beneben durch die Churfürsten / Herzogen zu Sachsen und Marggraffen zu Meissen / Ihre hohe Landes = Fürstliche Obrigkeit / Herzog Ernsten Churfürsten / Herzog Albrechten / Herzog Georgen und folgenden Fürsten / welche der Stadt Leipzig durch Ihre intercessiones solche Staffel-Berechtigkeit und Niederlage benebenst denen nundinis universalibus erhalten / daß dergleichen Stapel und Niederlage an keinen Ort binnen funffzehen Meilweges von der Stadt Leipzig gelegen seyn solle / besage der klaren Worte der Privilegien. Quis enim inde inferret: consistere superioritatem territorialem in intercessione humili Statuum coram Imperatore, ut privilegia quædam civitatibus ipsorum indulgeat, quæ ipsi vi juris superioritatis ipsis concedere valent? Aut: Electores Saxonix Serenissimos esse hodiè obstrictos, ut sine confirmatione Imperatoris nulla privilegia civitatibus suis indulgeant? Aut: Claritatem verborum die klaren Worte privilegii illius esse

esse ita efficacem, ut inde juribus Statuum aliorum, ac in specie Privilegio antiquiori Potentissimi Electoris Brandenburgici, supra vindicato, aliquid detrahi possit? *Confer supra §. 11. & 15.*

§. 20. Svadet interim eadem observatio, ut Status etiam potentes non rigide nimis potentiae suae innitantur, ac augmento superioritatis territorialis utantur, sed cum tali temperamento, ut conservetur, quantum poterit, harmonia inter caput & membra, atque non plane tollatur reverentia Imperatori tanquam supremo Feudi Domino, & qui tantam etiam in Comitibus habet prerogativam, ut solus Status omnes si non superet, tamen aequet, debita. Inde est, quod patiantur, Comites Palatinos in territoriis suis conferre dignitates, legitimare, veniam aetatis concedere & quae sunt similia, etsi abusus Comitum Palatinorum tantus sit, ut mox patientiam Statuum superaturus esse videatur: Quod non adigant subditos suos, ut Nobilitatis characterem ab ipsis petant, sed impetrent eundem ab Imperatore, quoniam, ut in antecedentibus dictum, & hic abusus jam Status aliquot adegerit, legibus quibusdam eundem prudenter circumscribendi: Quod in institutione Novarum Academicarum petant confirmationem Privilegiorum ab Imperatore, etsi abusus qui in collatione dignitatum Academicarum ubique regnat, jam illud effecerit, ut nonnulli Status jure suo magis ament, virum academicam dignitate non fulgentem, sed cujus tamen eruditio conspicua sit, in seligendis Consiliariis, praeferre illi, qui Dignitate Academicam ornatus, sed de cujus eruditione vel moribus, utrum illi adhuc Academici sint, nec ne, non constat &c. Neque poterit istud temperamentum aliquid detrahere superioritati territoriali, partim quod reverentiae exhibitio, quae fit Domino feudi, vel eo ipso, quod nexus feudalis non inferat subjectionem, etiam salvo jure majestatico fieri possit, (*conf. supra §. 3.*) partim quod dignitates & honores etiam citra respectum feudalem soleant peti vel assumi a Principibus potentibus, absque illo metu inde deducendi imperii. Huc pertinet collatio ordinum Equestrium. Ita Rex Hispaniae Regem Poloniae Equitem Aurei Velleris creavit; Ita Rex Angliae Regi Sveciae & Electoribus Saxo-

Saxonicis & Brandenburgicis ordinem Equitum Aureæ Periscelididis contulit, absq̄ ullo subjectionis indicio, aut imperii præfensione. *Conf. Dn. Becm. Med. Polit. d. dissert. 16. §. 3. p. 277. seq.*

§. 21. Ex altera parte principia doctrinæ nostræ, quæ quotidianis praxeos Imperii exemplis correspondent, favent etiam Imperatoribus Romanis, ut civilitatem humanitate compensent, & ea, quæ honoris causâ ab ipsis petuntur, Statibus potentibus non sine gravi causa denegent. Ita credo non difficulter hodie, certè facilius, quàm olim impetratur concessio Nundinarum, Academiarum instituendarum & quæ sunt similia. Ad ea quæ reverentiæ sunt, nemo cogitur. Et si cogeretur, reverentia, id quod in ea gratissimum est, amitteret, spontaneitatem. Nec reverentia amplius esset. Postulat humanitatis lex, ut iis, qui majorem reverentiam debent, minor, qui minorem, major humanitas exhibeatur. Credo idem observari ab Imperatore. Unde si Imperator in civitatem Imperialem veniat, & Magistratus ipsi claves offerat, atq̄ jurisdictionem suam interim suspendat, non puto peccare Imperatorem contra leges humanitatis, si civilitate hac sibi collata utatur, & claves retineat. At si apud Principem Imperii potentem sit Imperator, uti insignis reverentiæ foret signum, si hic Imperatori claves Castri sui offerret, ita nescio an repetitionem hujus civilitatis iterum sibi promittere possit Imperator, si ea non moderatè utatur, & non pari humanitate claves offerenti iterum reddat. Et si enim & Principes & Civitates æquè sint Status, tamen non sunt Status æqualis dignitatis, potentia, autoritatis, quod vel structura Comitiorum imperii, & controversiæ ibi nondum finitæ, nec unquam finiendæ ostendunt. *Conf. Monzamb. cap. 3. §. 9. & 10. & cap. 7. §. 8.*

§. 22. Hæc omnia uti perspicua sunt & optimè, ut spero, inter se cohærent, ita mihi persuadeo, quam plurimas quæstiones Juris publici ex his principiis non dependerent tantùm, sed & multo felicius ac facilius inde definiri. Harmonia debet esse inter caput & membra. Harmonia etiam debet esse inter Jura Capitis & Jura membrorum. Non opponenda sunt ista sibi invicem. Non extollendus Imperator cum præjudicio Statuum:

tuum: Non admittenda Statuum adulatio cum præjudicio Imperatoris. Vides exponi posse clarè & distinctè doctrinam de juribus Majestatis Statuum, absque ulla mentione Reservatorum Imperatoris, quæ non alium in finem ab intempestivis Imperatorum adulatoribus in scenam producta, quam ut turbarent doctrinam omnem, cum tamen ipsimet nesciant, quid nomine reservatorum illorum velint, sed hæc parte in propria viscera sæviant. Id non disputabimus, utrum rectius dicantur esse reservata, utrum relicta, sed relinquemus hæc parte litigium istud Hip-
 à Lapide *Part. 1. cap. 16. p. 287.* & Slutero *ad illum locum* item Stam-
 lero *de reservatis §. 2. p. 13.* Conf. Burgold. *d. 1. Disc. 10. §. 15. p. 261.* In
 terminis simus faciles, modo scire liceat, cujus generis sint ista
 reservata & ad quam classem entium pertineant. Sed hic ipsi
 Autores nondum convenerunt. Potissimum enim quadrupli-
 cem ea de re opinionem Autorum deprehendo. 1. Enim Reser-
 vata dicuntur esse jura regni & Dominationis seu arcana Imperii
 Germanici: *Kaiserliche und Fürstliche Reservaten und Hoheiten/
 geheime Reichs-Sachen*: Italis *Ragione di Dominio* Græcis
κρύφια, à quibus diversa sunt jura Imperii, quæ non sunt Im-
 perii arcana, sed horum fundamenta, quæ M. Tullius appellat
 jura Majestatis: Germanis ferè *Fürstliche Land-Obrigkeit* *Clap-*
mar. de Arcan. Rerump. l. 1. c. 4. p. 9. & c. 10. p. 16. *Kell. de offic. Jurid.*
l. 2. c. 1. f. 222. *Webner Observat. voce Reservata.* 2. Alii Reservata
 Imperatoria in latâ acceptione sumunt, ut sub se comprehendant,
 omnia jura Majestatis, quæ Imperator in Imperio exercet. Unde
 dividuntur in Reservata in genere, & in specie: illa vocantur, quæ
 Imperator non solus exercet, hæc quæ exercet absque adjumento
 Statuum. Priora iterum dicuntur esse triplicis generis, ita ut,
 quædam exercentur cum omnium Statuum consensu, quædam
 cum consensu duorum collegiorum, ut jus cooptandi in Statum
 Imperii, quædam cum consensu electorum. *Spreng. Jurispr. publ.*
l. 1. c. 6. & 7. Conf. Schvveder. Part. spec. sect. 1. c. 4. p. 282. 284. *Becker*
Synopsi jur. publ. l. 2. c. 3. §. 4. p. 68. *Reinking. I. 3. n. 7.* Hanc au-
 tem acceptionem refutare intendit Stamlerus *de Reserv. §. 4. n. 2.*
p. 19. 3. Affinis priori est significatio tertia, quod Reservata
 E
 sint

sint Regalia, quæ Imperator sibi reservavit, nec Statibus unâ cum territorio competere solent, quamvis & ea per privilegium singulare commissionis &c. communicentur; tamen non proprio jure sed Procuratorio nomine competunt. Eaque sunt duplicia, quædam Imperatoris personæ, quædam Imperatori & Statibus simul tanquam corpori reservantur. *Besold. thes. Pract. voce Regalia.* Similis videtur esse sententia Bornitii, quod reservata sint ea, quæ inferioribus magistratibus non concedantur, quam & ipsam tamen refutare aggreditur Stamlerus §. 3. p. 15. 4. Significatio est strictissima, secundum quam reservata denotant jura quæ Imperator in Imperio solus, id est non adjuvantibus & non concurrentibus Statibus exercet. Quæ significatio assumitur à Stamlero §. 3. p. 18. Slutero *ad Hippol. à Lapide p. 644. & aliis.* Ita enim definit Stamlerus: Reservata esse jura Majestatis, quæ Imperator Germanicus liberæ suæ dispositioni absque ordinum vel Electorum necessario consensu exercenda reservavit. Nos cum nullam utilitatem in tota hac doctrina videamus, non opus esse arbitramur, incumbere discussioni rei parum utilis. Sufficit, quod ostenderit, doctrinam illam esse obscuram & plerumque confuse traditam.

§. 23. Neque id quidem mirum, cum ista vox vix in legibus Imperii inveniatur. Quotquot autores evolvi, deprehendi, omnes provocare ad unicum locum ex Recessibus Imperii quem supra jam descriptum dedimus. Hinc difficile est determinare, in qua acceptione ibi vox illa sumatur: præprimis cum res per illam vocem significata æque in obscuro lateat, & cordatiores ex Doctoribus juris publici ferè nesciant, quid eò referre debeant. Quod ut paulo distinctius appareat meretur integer locus Dn. Itteri, quem habet *de Gradibus Academicis c. 6. §. 3. & 4.* quamvis paulo prolixior, adscribi, idque vel ideò, quod hic Vir ex scriptis suis Celeberrimus sit ex parvo hodiernorum scriptorum Juris Publici numero, qui judicio aliquo pollent, quique in multis aberrationes communium errorum à semitâ veritatis agnoscunt, quodque Idem tamen fautor sit Doctrinæ de Reservatis, & ex illa adversus Illustrem Dn. de Rhez defendere voluerit, Jus erigendi Academies nullo modo pertinere ad Status Imperii cum sit

sit reservatum Imperatoris, cui intentioni discursum istum jam
 excerpendum fundamenti loco præmisit. Sic autem ibidem
 differit. Cæterum, quamvis ab omnibus ferè communi quasi
 consensu in hanc itum sit sententiam, Academias erigendi, ho-
 noresque Scholasticos conferendi jus pertinere ad Reservata Im-
 peratoris, plurimos tamen non rationibus, sed aliorum au-
 thoritate huc descendisse ausim affirmare. Enim verò non suf-
 ficiebat tam crudè hoc dicere, fundamenta hujus rei aperien-
 da erant, diligenterque inquirendum, quamnam ea sint, unde
 natura Reservatorum, atque indoles debeat dijudicari. Non
 satis erat allegare unum, alterumque scriptorum juris publici,
 qui iterum ad alium se referret, vel ne quidem referret, quæ per-
 versa multorum disputandi ratio est. Cum ergò tam parci hîc
 sint scriptores, adeò, ut nihil etiam hujus rei reperiatur in vasto
 Limnæi opere, nihil, quod mirere, apud Stamlerum integro
 de Reservatis Imperat. Commentario, animus erat, altius ali-
 quanto argumenti hujus philosophiam repetere, & quamnam
 sint Cæsaris Reservata, non enumerare quidem, sed in quonam
 eorum natura consistat, plenius ac præsens locus postu-
 lare aliàs videbatur, disquirere; ubi verò in rem præsentem
 veni, operique manus cœpi admovere, tot se aperuerunt dif-
 ficultates, orta que alia ex aliis dubia, quibus omnibus expe-
 diendis extricandisque ne parem deprehendi hanc meam æta-
 tem, nec ingenium. Malui igitur proposito abstinere, quàm
 audacis periculosa que philosophiæ præbere exemplum: pru-
 denter enim & nonnisi summâ reverentia tractanda sunt hæc
 sacra. Alias nota est regula Lampadio aliquoties (part. 3. de
 R. R. G. Cap. 13. §. 5. & cap. 16. §. 1.) tradita: Omnia Impe-
 randi Jura Cæsaris esse propria, in quarum communionem ordi-
 nes per capitulationes, Recessus, aliasque Imperii Leges non
 concesserunt, firma utique, historiæque Status in Imperio
 Germ. apprimè conveniens, ac proinde Doctoribus quibusvis
 probata, non tamen talis, quâ scopulas, omnesque salebras
 tutò liceat evitare. Quid enim, si quis instet petatque sibi enu-
 merari ea jura, quæ per publicas leges Imperii ordinibus cum
 Imperatore facta sunt communia? Hic Rhodus erit, hic saltus.

E 2

Appa-

„ Apparuit difficultas in tractatib9 pacis Osnabrugo Monasterien-
„ sis, ubi cum peteretur, ut Imperii ordines antiquis suis Juri-
„ bus, prærogativis, libertate, privilegiis posthac iterum fruere-
„ tur, gauderentque sine contradictione jure suffragii in omni-
„ bus deliberationibus super negotiis Imperii, imprimis ferenda-
„ rum legum, decernendi bellum, sancienda pacis, fœderumque
„ pangendorum &c. addebant tandem Legati Plenipotentiarii
„ Regis Galliaë propositione sua apud Londorp. act. publ. tom V.
„ part. post. cap. 97. hanc clausulam: aliisve ejusmodi negotiis,
„ andern Geschafften gleicher Art / quæ & instrumento pacis po-
„ stea legitur inserta. art. VIII. §. Gaudeant. Sed nimis gene-
„ ralis videbatur formula illa tum temporis Cæsareanis, & ad mi-
„ nuenda Imperatoris jura comparata. Subjiciebant igitur in
„ responsione sua apud Londorp. tom. 5. cap. 101. hanc exceptio-
„ nem: salvis tamen iis, quæ ad Imperatorem, & Collegium
„ Electorale solùm pertinent, & salvis eorundem Juribus & præ-
„ eminentiis; omniaque intelligendo juxta morem ab antiquo
„ in Imperio receptum. Doch unverlezt desjenigen / was dem
„ Röm. Kayser / und das Churfürstl. Collegium allein betrifft / und
„ unverlezt derselben Rechten und Hoheiten / auch das alles ver-
„ standen werde nach dem im Röm. Reich vor Alters her üblichen
„ Gebrauch. Sed replicârunt Gallici, Svecicique Legati ap. Lon-
„ dorp. tom. V. cap. 118. & 119. non improbare se, quæ Cæsareani re-
„ sponderint, rogare tamen aliquam declarationem utriusque il-
„ lius annexi reservati, ut & clausulæ intelligendo &c. Sicut & cum
„ à Principibus Evangelicis ratione gravaminum quorundam de
„ Capitibus nonnullis, quæ exhibet Londorp. in act. publ. tom. V.
„ cap. 113. deliberaretur, speciatim petierunt Status illi, ut expri-
„ merentur jura illa propria, & Reservata Cæsarea; Cæsaris Reser-
„ vata zu specificiren. Ad quæ Cæsareani illa quidem *de more anti-*
„ *quo* verba satis explicârunt in duplica sua ad Replicam Sveco-
„ rum apud Londorp. tom. V. cap. 120. Quod verò postulatam
„ Reservatorum Imperatorum recensitionem attinet, omittere po-
„ tius placuit integram clausulam, communique isto, & quasi
„ mystico nomine, non sine arcanâ arte (uti Bœclerus judicat
„ *animadversione in jus publ. Ottonis pag. 72.*) eadem dissimu-
lare

lare, quàm periculosa singulorum enumeratione defungi. Sic,
ergò satis constat, quàm ardua res fit certò definire, an inter re-
servata cæsarea jus aliquod summi Imperii sit referendum, nec,
ne, quibusque se exponant periculis, qui specialia enumeran-
do omnia illa jura persequi tam securè consueverunt. Inde,
enim tot discrimina sententiarum, aliis liberaliter nimis omnia,
fere Majestatis jura pro Reservatis venditantibus, aliis nonnisi,
paucissima quædam, &, ut ipsi quidem opinantur, exigui mo-
menti, apertâ sive malignitate, sive ignorantia, in hunc,
censum referentibus, aliis denique mediâ quâdam viâ inter hos,
incedentibus, sed quæ ipsa quoque salebris non omninò careat.
Liberalius pro Imperatore hâc parte judicant Reinkingius, &
Stamlerus; parcè nimis & malignè Hippolitus à Lapide, qui-
que in hujus schola sunt edocti. Id certissimum est, *positivè &*
à priori non posse demonstrari, probari vel enumerari Reser-
vata Cæsarea, cum leges fundamentales nihil hic determinave-
rint; sed negativè solum & à posteriori probationem esse insti-
tuendam juxta pragmaticam illam concedendi rationem, quam
ex Lampadio supra tradidimus. Si quis igitur ostenderit de ali-
quo summi Imperii Jure, quod in ejus communionem per le-
ges publicas ordines non concesserint, illico habebit Reserva-
tum. Sed remanet adhuc illa difficultas, illud ulcus, quod an-
tea tetigimus, quâ nimirum ratione sciri possit, an non sub for-
mula illa, *aliave ejusmodi negotia &c.* quæ in §. *gaudeant* legitur,
illud ipsum etiam comprehendatur jus, de quo lis est? Cui,
qui sufficiens adhibuerit remedium nescio an quisquam hæcte-
nus fuerit repertus. Ex ipsa tamen illa clausula apparet, confi-
derandam esse accuratè indolem, interioremque genium, cum
illorum, quæ in cit. §. *gaudeant* Imperii ordinibus communi-
cantur, jurium, tum illius etiam, de quo controversia est, ten-
tandumque, an fortè similitudo aliqua inter ea possit ostendi,
nec ne: quod aliquando quidem poterit fieri facilius, V. G.
quando comparatur jus conferendi dignitates scholasticas cum
enumeratis in d. §. *Juribus*, facile constabit ingens inter illud,
juraque belli, pacis, fœderum &c. quæ ad universam Imperii,
administrationem pertinent, dissimilitudo; unde tutò licebit



„ concludere, non comprehendendi id sub annexa clausula, deinde
 „ Reservatis caesareis esse annumerandum; in quibus tamen non
 „ carere hunc procedendi modum tricis suis, & difficultatibus,
 „ experietur, qui comparationem porro instituere sustinuerit.
 „ Sed à me quidem nemo expectabit solutionem nodi hujus
 „ tantum non Gordii. Viris hic opus est, interiore harum re-
 „ rum cognitione usuque instructis, aut legali definitione. Vides,
 „ quam acutè & quanto cum iudicio Vir Clarissimus omnes vias
 „ calcaverit & inquisiverit, utrum accuratam Reservatorum Impe-
 „ ratoris notam invenire potuerit, & tamen coactum fuisse tandem
 „ fateri, esse nodum Gordium, eumque indissolubilem. Quà in
 „ re adhuc magis confirmaberis, si placuerit evolvere ipsa Londor-
 „ pii loca à Dn. Ittero citata, & capitula cum iis connexa. Quam-
 „ vis autem in hac controversia non eadem ingenuitate processerit
 „ Celeberrimus Kulpisius, sed praefatum Dn. Itteri locum in alium
 „ planè sensum vertere intenderit, illi tamen jam praoccupavimus
 „ respondere in notis ad Monzambanum *cap. 5. §. 27. lit. u. pag. 300.*
 „ *seq.* quibus & ipsis notis illustrandis multum inserviet exscriptio
 „ illa loci Itteriani, cum libellus ejus non sit in multorum manibus.

§. 24. Sed ponamus; scire autores, qui de reservatis scripse-
 runt, atque convenire de notis eorum, videamus modo, an ju-
 sta sit oppositio: Hoc vel illud jus pertinet ad reservata Impera-
 toris, ergo Status Imperii illud exercere non possunt in suis terri-
 toriis. Ego enim nullam agnoscere hic possum justam conse-
 quentiam. De *primo* significato supra §. 22. recensito, hic non
 multum erimus solliciti. Praeterquam enim, quod idem parum
 se approbet scriptoribus juris publici, qui de reservatis scripse-
 runt, quamvis eum commendaverit Bœclerus *in Notit Imper. lib.*
IV. cap. 1. p. m. 53. & vix verosimile sit, secundum usum juris publici
 sub voce Reservatorum intelligi arcana Imperii seu rationem Sta-
 tus; ipsi istius acceptionis Autores fatentur, eam significationem
 non posse opponi juribus Statuum, cum afferant *Kaiserliche und*
Fürstliche Reservaten; adeoque vocem illam tam ad Imperato-
 rem, quam ad Principes applicent. *Secunda, & tertia* acceptio,
 quam secundæ affinem esse dixi §. 22. etiam non possunt Statibus Im-
 perii opponi. Esto Jura Imperatoris omnia dici Reservata, nec de iis
 inve-

investire eum Status, quid inde? Quis unquam homo sanæ mentis asseruit, Statibus competere jura Imperatoris, quæ Imperator exercet in Imperio? At malè infertur, Imperator jura sua exercet in Imperio, ergo in territoriis Statuum, cum suprâ ex communi consensu adductum fuerit, Imperatorem exercere jura Imperii sine præjudicio Statuum, & eorum superioritatis territorialis *vid. §. 15.* At inquis: Si non exercet Imperator reservata sua in territoriis Statuum, ubi ergo exercet? cum nullus ferè occurrat locus, qui non sit occupatus à Statibus Imperii, & liberæ Imperii Nobilitati, etiamsi illa Status non sit, tamen multa eaq; superioritatem territorialem valde æmulantia privilegia sint concessa? Sed id quidem nihil ad me, sufficit, quod olim loci fuerint, ubi illa exercuerit, cum scilicet illi loci nondum pertinerent ad Status. *vid. Monzamb. cap. 3. & 5.* Illud potius exinde patet, mutatione temporum, ut jam suprâ diximus, maximè etiam mutatam & circumscriptam esse potestatem atq; autoritatem Imperatoris. Quamvis suprâ etiam ostenderimus §. 20. & hodiè esse loca, ubi reliquias jurium antiquorum exercere possit Imperator, modo Reservata illa non opponantur potestati Statuum, sed pulchra jurium Imperatoris cum juribus Statuum, ut nos fecimus, supponatur harmonia. Quare tantùm abest, ut Reservatorum Panegyristæ oppositione suâ promoveant interesse Imperatoris, ut potiùs eidem graves ponant remoras pertradita §. 21. Restat *quartus* significatus. Hic verò, si quisquam, impertinenter opponitur juribus Statuum: Quæ enim consequentia: solus Imperator nomine Imperii absque consensu Statuum Imperii legitimat liberos naturales Statuum, aut etiam subditos quosdam Statuum, (supponamus enim, jam assertionem absq; omni limitatione procedere.) Ergo Status Imperii non potest jure superioritatis subditum suum legitimare? Et fuerunt tamen qui id assererent. Vide præter Stamlerum & Reinkingium, qui omnia ferè Jura soli vindicant Imperatori, quos citat Ill. Dn. B. à Friesen *de J. P. E. T. cap. 2. n. 49. p. 54.* Idem est ac si argumentarentur. Imperator investit solus de Feudis Regalibus, ergo Status non possunt investire de Feudis suorum territoriorum. Quidni & ita? Imperator
solus

solus absque consensu Statuum ducit uxorem, edit, bibit &c. Ergo Status Imperii absque consensu Imperatoris non possunt uxores ducere, edere, bibere &c. Pudet diutius immorari rei tam impertinenti.

§. 25. Sed quænam causa est, quod eruditi viri atque prudentes in tam palpabiles errores lapsi fuerint? Potissimi fuerunt, quod confuderint tempora antiqua cum hodiernis, & quod intenderint, Jura Imperii Germanici deducere ex Jure Romano. (*conf. dicta in præfat. ad notas Monzamb. p. 17. seq. 25. seq.*) Nil frequentius, quam quod Reinkingius & Stamlerus in deducendis juribus Imperatoris provocent ad leges Juris Justiniani, in quibus subinde asseritur, quod hoc vel illud jus ad solum Imperatorem pertineat, & ab eo solo exercitium ejus impetrandum sit, quasi leges illæ unquam Germanis latæ fuerint, aut quasi earum receptio in territoria Europæ unquam facta sit ad definiendas controversias juris publici. Imo, quid si leges Justinianæ ab ipsis Regibus Germanorum latæ fuerint, annon Satus hodiernus toto cælo differens à Statu illo pristino ostenderet, inconvenientem esse applicationem legum Status alicujus antiqui ad Statum novum à priore diversum? Sed nolunt intelligere ejusmodi Autores, quod omnis status sit qualitas, secundum quam jus variat, unde prætendunt mutationes per expressas leges aut per consuetudinem contrariam, noluntque desuetudinem & non usum inter mutationes juris referre. Quasi vel rusticus ignoraret, ei, qui Quæstor fuit, non amplius obedientiam deberi etsi nondum ulla lex de non præstanda partitione lata sit: Quasi dubium esse posset, utrum homo adultus, qui fortè calceos, quibus in infantiâ usus est, nescio qua de causa servavit, id fecerit, ut aliquando illos iterum pedibus applicare velit, quia nunquam dixerit, quod nolit illis amplius uti? Unde similis, etsi non tantus error est, quod illi scriptores in quæstionibus de reservatis Imperatoriis ex legibus Germanicis corradant omnia promiscuè, antiqua, nova, antiquata, neque respiciant utrum per facies, hodierni Status & per subsequentes Capitulationes aut Instrumenta pacis istæ antiquæ assertiones Aureæ Bullæ vel Recessuum imperii sint
muta-

mutata nec ne? Sed malo ulcus illud verbis aliorum tangere quam meis. Ita Cæsarinus Furstinerius de suprematu cap. p. 26. Illi, qui ad scribendum plerumque animum appellunt, miserabili ingeniorum morbo, non nisi vetera crepant, quorum nostris temporibus vix vestigia, recentium incuriosi: de quibusdam vulgaribus Jurisperitis hoc non miror, illis enim omnis sapientia in uno Juris Romani corpore inclusa videtur; experientia autem rerum humanarum, solumquam habent, forensis auditorii cancellos non egreditur: unde nonnunquam de publico, & Gentium jure misera sunt eorum Judicia. Hos ergo Cæsarem pro Domino mundi; Principes nostros pro Præsidibus Provinciarum licet perpetuis, & hereditariis habere, mirum non est: neque ab his aliquid magnopere expectes illustrando publico Juri, quod nunc viget. Sed illud semper miratus sum, illustres dignitate, & rebus gestis & eruditione viros, cum ad scribendum accessere, maluisse eruditionis suæ documenta dare, quam experientia, & Judicii. Nam, quæ paululum à Romanis, Græcisque formulis abeunt, ea vix nominare audent; videas documenta, & præcepta non tradi alia, quam quæ alicujus Poëtae aut Oratoris auctoritate firmari possunt; & exempla adhiberi ex sola veteri historia acquisita: quæ res facit, ut libri ejusmodi à viris pragmaticis (quicumque nondum Juvenes hoc velut gustu antiquitatis imbuti sunt,) velut inutiles aut certè steriles spernantur. Magis fortè placebunt verba Burgoldensis, tum ob simplicitatem, quæ usus est, tum quod profecta sint à Viro, qui aliàs febriculosam Juris Civilis notitiam à Monzambano notatam amare solet & passim in scriptis suis extollit. Conf. not. ad Epist. Proem. Monz. p. 10. lit. 5. Ita veritas coëgit Virum, ut eam vel invitus & contra seipsum profiteretur. Sic vero ille D. P. 1. Dist. 10. §. 15. p. 262. seq. Hoc obiter Stamleri error notatur, qui in Tr. de Reservatis Imperatoris, in injuriam Statuum fere omnia Imperii Jura majestatica soli Imperatori contra art. 8. Instr. P. §. gaudeant, vindicare conatur. Imperium, esse solius Imperatoris, ac quasi in ejus marsupio idem Vir cætera acutissimus, pag. 153. asserere non dubitat, cum tamen utique perpendere debuisset, Imperium Romanum, postquam aquilinis Alpibus superatis in Campis Teutonicis consedit, ac ad Germanos translatum est, longè alios Gubernatores jam accepisse, ac proinde ea, quæ de potestate absoluta

F

Roma-

Romanorum Imperatorum passim à Bartolo, Baldo, & aliis circumferuntur, ad hodiernos Romano-Germanicos Imperatores, quatenus considerantur, ut Germania Reges, minime applicari posse, nec debere. Erroris minimè ferendus: Ita enim Jura publica tractare convenit, ne Imperatori & Statibus Imperii injuria inde nascatur, eorumq; Juribus nebula, & caligo quasi inducatur. Observare est in Academiis nonnullis Germania, (quarum Principes ab Unionis, & Liga temporibus Casarem semper secuti,) Jura publica, praesertim quod majestatem Imperatoris attinet, interdum adulationis purpurisso pertractari. Rectè proinde & Dom. Bæderus (in not. ad Hug. Grot. L. 1. de J. B. & P. C. 3. §. 6.) ita Judicat: Hodierni scriptores Juris publici explicant Jura Majestatis ex usu rerum praesentium in gratiam aulae Caesareae. Ubi per res praesentes maximè illas intelligi puto, quae fervente tricennali bello, hinc inde sunt turbulenter peractae. Helmstadi Dn. Conringio Duce, & alibi illa omnium optime docentur. Sanè Stamlerus ille cum Reinkingio suo nimio affectu in Imperatorem abrepti plura ipsi soli adscribunt, quam ille forsàn sibi poscit, poscere potest, aut debet. Reinkingii, & aliorum scripta, à Ferdinandi II. aulicis diligenter lecta, videntur non parum juvisse, quod ille pleniorè Monarchiam in Imperio, frigidam suffundentibus Jesuitis, ac Hispanis reducere fuerit conatus: Et omnino actum fuisset de pulcherrimo nostro Imperio, nisi Ferdinandus III. Imp. calculum rerum Imperii bene ponens, aureà Pace Westphalicà Imperium, haëtenus ab Hispanis & aliis ferrea virgà visitatum, rursus argenteum reddidisset. Memoria tam Augusti Patris Patriae sit in aeterna benedictione. Sanè Jura majestatis Imperii, cujus administrator extra comitia est Imperator, hodie juxta notissimum. Insr. Pac. (quod fluctuantem haëtenus Reip. navem in portum rursus deduxit) in Academiis Germaniae omninò tractanda sunt, & quidem absque omni fuco & adulatione.

§. 26. Nostra vera doctrina & illum usum fortè præbebit, ut si in exponendis juribus Majestaticis Statuum Imperii planè à Reservatis imperatoriis eorumqve oppositione abstrahamus, & ostendamus, oppositionè eorum inter se esse impertinentem, non opus habeamus nos immiscere controversiis, quæ aliàs à Reservatorum defensoribus, aut aliis etiam scriptoribus juris publici

publici moveri solent iis, qui secundum modum consuetum Superioritatis Territorialis Jura exponunt. Vulgatum enim est pro superioritate territoriali afferri illud Brocardicum: Status imperii tantum possunt in suo territorio, quantum Imperator in imperio, item: Superioritatis jura valere in territorio saltem, Reservata autem Imperatoris per totum Imperium. Vide summatim autores, qui illud brocardicū & defenderunt & impugnaverunt collectos apud Schweder. *Partis specialis sect. 2. cap. 10. §. 4. p. 871. seq.* Bœcler. *in notit. Imper. lib. 5. cap. 2. p. m. 76. seq.* Ista vero differentia inter jura superioritatis & reservata inculcatur ab omnibus ferè scriptoribus Juris publici. Ostendunt equidem hæcenus dicta, quod non opus habeant, ut irascantur modestiæ dicti Brocardici & allatæ differentiæ Defensores Reservatorum, cum omnino res ipsa veritatem ejus loquatur. Quod si illi moderationem ejus axiomatis & differentiæ ferre nequeunt, quid dicent, si quis cum Burgoldensi asserere velit; plus posse Status, quam Imperatores? Ita enim hic *d. l. §. 16. p. 263.* Notandum hic ulterius, in nonnullis Juribus Majestaticis Imperii Status insignem prerogativam habere præ Imperatore, in legibus præscribendis per Capitulationes, cum tamen solus Imperator Statibus leges præscribere nequeat. *vid. Instr. Pac. art. 8. §. gaudeant. Status Imperii in consulto Imperatore fœdera inire possunt d. art. 8. Instr. Pac. Imperator vero hoc facere non potest. vid. noviss. Capit. Leopold.* Quamvis fortè in primo exemplo convenientius fuisset, si loco Capitulationum attulisset Potestatem Statuum imperii condendi Leges provinciales. Plura fortè afferri possent in hanc rem ex exemplis hinc inde in hæc disputatione adductis. Sed periculosa sunt omnes locutiones comparativæ, præprimis eæ, quæ non ad æqualitatem & amorem, sed ad inæqualitatem monstrandam & dissidium excitandum adhibentur. Putamus, melius rem expediri posse, si harmonia ostendatur inter caput & membra, uti fecimus §. 14. & 15. item §. 18. 19. 20. quam si ostendatur disparitas. Si fundamenta in explicanda superioritate territoriali non defumantur ex natura majestatis, juncto nexu feudali, & doctrina de systematibus civitatum, nunquam os obturari potest istis
Reser-

Reservatorum Encomiaftis etiamfi iftud brocardicum, aut illa
Differentia centies inculcetur. Quodfi vero ex applicatione ge-
numorum Principiorum Politicorum ad jura Statuum, ut nos
intendimus, res fuerit deducta, non opus erit ifto brocardico &
similibus refponfionibus, fed rixæ evitandæ caufa iis
commodè abftineri poterit.

S. D. G.



1077



B. N. II, 124.

h. 55, 8.

II R
1568

DISS

BLICI

INJUS

SITIO.

NE JUR

ATICO.

RUM

ATIS

RESE

RUM

IMP

UM,

RECTO

ISSIMO,

SERENISS

C DOMINO,

DN. FRI

HELMO,

Electo

&c. &c.

IN UNIV


RICIANA

DN. CHR

ASIO, Jcto,

PETRUS HE

VI.
shemio-Francus.



HALÆ, Typis CH



ECT. BRAND. Typogr.

de injusta Oppos

Superioritatis ter.



Kodak

LICENSED PRODUCT

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

